INSCRIPTIONES GRAECAE INEDITAE.

COLLEGIT EDIDITQUE

LVDOVICVS ROSSIVS

HOLSATVS

PHIL. D. AA. LL. M.

ANTIQVITT. REGNI GRÆCIÆ CONSERVANDIS COLLIGENDISQ. PRÆF.
INSTITVTI ARCHÆOL. QVOD ROMÆ FLORET SOC. CORRESP.
SOCIETAT. GERMAN. LIPS. PRO LINGVA ET ANTIQVITT. PATRIIS EXPLORANDIS
SOC. ORDIN.

FASCICVLVS I.

INSVNT INSCRIPTIONES ARCADICÆ, LACONICÆ, ARGIVÆ,
CORINTHIÆ, MEGARICÆ, PHOCICÆ.

NAVPLIÆ,

E LITHOGRAPHIA REGIA,
TYPIS C. A. RHALLIS.
1834.

Q. B. F. F. Q. S.

OTTONI.

GRAECORVM. REGI.

AVGVSTO. PIO. FELICI.

HASCE.

RENASCENTIS. IN. GRAECIA. OPTIMARVM. ARTIVM. STVDIIS

PRIMITIAS.

SACRAS. ESSE. VOLVIT.

EDITOR.

PRÆFATIO.

Inscriptionum Græcarum ineditarum collectionem edere dum aggredimur, pauca nobis præfanda esse videmus quum de consilio hujus editionis, tum de reliquis quas secuti sumus rationibus.

Tantæ sunt in Græcia vel titulorum ineditorum, vel aliorum rerum ad cognitionem antiquitatis spectantium copiæ, ut viris doctis, quos bona fortuna in hoc optimarum artium quasi patrium solum detulit, non tam circumspiciendum sit, in quid potissimum animum operamque intendant, quam allaborandum, ut affluentes undique divitias quam citissime publici juris faciant et cum eruditis aliarum terrarum hominibus communicent. Quam ad rem nihil expeditius est, quam ut inscriptionum apographa vel integræ de rebus ad antiquitates pertinentibus commentationes in Europam transmittantur ibique doctorum amicorum curâ imprimantur. Sed si semper hoc facere vellemus, verendum foret, ne nunquam in ipsa Græcia neque hæc antiquarum litterarum studia prisco fervore renascerentur, neque commercium exsisteret librarium, quæ est res ad adjuvanda et excitanda litterarum studia vel maxime necessaria.

His aliisque similibus rationibus sæpius animo agitatis, periculum facere constitui, si edendis aliquot inscriptionibus vel excitare alios in Græcia degentes viros doctos ad similes labores suscipiendos, vel inchoare quodammodo commercium librorum cum Europa possem. Quod consilium cum ad Celsissimum Illustrissimorum Proregum Collegium retulissem, Viri Excellentissimi, quæ est ipsorum de favendis bonis litteris sollicitudo, non solum Regiæ Lithographiæ usum liberaliter mihi concesserunt, sed etiam ipsum opusculum publicis impensis imprimi jusserunt. Ita nobis contigit, ut ipsi tituli in Lithographia Regia, cui vir in hoc opere exercitatissimus A. Forsterus præfectus est, accuratissima ductuum, quales in lapidibus exstant, imitatione exprimerentur. Typos vero doleo non potuisse me reperire elegantiores, cum Typographia Regia per totum hoc tempus legibus et edictis imprimendis nimium esset occupata. Quid quod ipsa hujusce commentarioli impressio, qui quidem inde a

mense Iunio conscriptus absolutus que fuit, tum propter plurimas alias Lithographiæ occupationes, tum propter iterata, quibus a corrigendis pessimis typographi speciminibus revocatus fui, itinera inde a mense Iulio usque ad hunc diem protracta est? Et nisi jam quotidianus tabellariorum publicorum inter Athenas et Naupliam commeatus institutus esset, ne nunc quidem absolveretur.

De ipsa inscriptionum collectione et de additis commentariis hæc dicenda habeo. Tituli ad unum omnes a memet ipso transscripti sunt, eamque mihi legem scripsi, nullum ut reciperem, qui jam apud Bœckhium vel alium quemcunque impressus exstaret: nisi sicubi meum apographum tanto vulgatis plenius esse totve numeris ab illis discrepare sentirem, ut nova repetitio ejusdem marmoris necessaria videretur (n. 11. 12. 20. 23. 47. 52 etc..). In contextu autem inscriptiones, lacunis, quoad ejus fieri posset, ad exemplum similium titulorum vel de conjectura suppletis, litteris minusculis repetivi; addidi denique significationem loci, ubi unaquaeque reperta esset vel jam asservaretur, paucasque annotationes, sive linguam, sive res, quæ in titulis tractantur, spectantes. In quibus si brevior fui multasque res lectorum eruditorum judicio reliqui, nolim hoc a quoquam mihi vitio verti Ea enim est librorum in hac antiqua artium optimarum patria paucitas, ut multorum scriptorum antiquorum in toto imperio Græco vix unum exemplar reperiatur; utque, nisi insigni Academiæ Litterarum Regiæ Borussicæ liberalitate per Augustum Bœckhium, equitem illustrem, hæcque nostra studia humanissime adjuvantem ante aliquot menses exemplar Corporis Inscriptionum Græcarum accepissem, ne huncce quidem fasciculum potuissem edere.

Quod ad numerum titulorum attinet, tituli Arcadici, Laconici, Corinthiaci, Megarici, Phocici, quos tunc habebam, omnes hoc fasciculo continentur, cum parte Argivorum; Bœoticos meos omnes, præter unum, qui epimetri loco additus est, superiore jam anno ad Bœckhium, V. Cl., transmiseram. Exinde autem in itinere, quod Augustissimum Regem comitatus mense Septembri denuo per Corinthiam, Megaridem, Bœotiam, Phocidem, Locridem, Aenianes et Lamiensem agrum feci, illarum regionum haud paucos novos titulos collegi; Atticarum vero inscriptionum ineditarum tanta in schedis meis, tanta in Museo adest copia, totque tantum non

quotidie e terræ visceribus eruuntur, ut vel duobus aliis fasciculis materies parata sit. Quas quidem, si eruditi judices se his nostris studiis favere significaverint, et ipsas edere non cunctabimur.

Scripsi Athenis, mense Novembri 1834.

I.

INSCRIPTIONES ARCADICÆ.

A.

Tegeæ et vicinæ regionis.

1.

Tripoli in pariete scholæ publicæ, ad dextram portæ. Marmor est album, a sinistra parte integrum, a dextra fractum: quamobrem versuum longitudo accurate definiri nequit. Antequam in hunc murum insereretur, videtur in aliquo fundamento vel in scala aliqua fuisse, unde plurimæ litterae prorsus detritae deletaeque sunt. Quæ legi possunt, haec fere suut. V. 1. videtur fuisse *εὐ(σεβής)*. V. 3. suspicor esse· *καὶ Ἱερεὺς τᾶς (Ἀθάνας?)* collato v. 5. *τὸ δὲ ὅμοιον τᾷ Ἀ(θάνᾳ?)*. V. 14 est *Ἑστία*, v. 15 *ἐπιτάξας, ἐπιτάξασ(α)* vel tale quid. V. 16. *ἐν τᾷ πόλει*. V. 18 est *ἄλλον τὸν ἴδιον*. V. 19 fuit fortasse *τοὺς ε(μϐ)άλλοντας*. V. 20 habetur *ποιο(ῦν)τες δὲ κα(ι)* et v. 21: *τοὺς γάμους τῶν*...

Probabile est hunc titulum Tegeaticum esse, tum quod ea urbs Tripoli proxima est, tum propter mentionem Minervæ, sc. Aleæ (v. 3 et 5), siquidem recte hujus Deæ nomen supplevimus. Ætas incerta: suspicor tamen ad primum fere imperatorum Romanorum sæculum pertinere, propter primum versum, ubi in *ΑΤΟΣ ΕΥ* solita Augustorum præconia latere videntur. Litterarum forma ei suspicioni favet.

2.

Titulus **Tegeæ** repertus in ara vel basi quadrata, pedem et duo pollices alta, septem pollices et dimiduum lata. Lapidem in Museum Regium, quod Æginæ est, deportandum curavi.

Ἐπὶ Ἱερέος
Ἡρακλείδα
Κλεοπάτρα
Σεκούνδου
Πολυεύκτου
γυνη ἱεράσα-
μένα Ἀλέᾳ
Ἀθάνᾳ καὶ
Δάματρι.

Vv. 1 et 2 confirmant suspicionem Boeckhii (C. I. G. 1, 701), annos Tegeæ sacerdotum nominibus designari solitos: quos sacerdotes probabile est fuisse Minervae Aleae, utpote ejus

deæ, quæ Tegeæ in summo honore esse*. Aetas tituli incerta; satis recentem esse litterarum forma evincit. Neque Aeolicae dialecti usus obstat, quo minus vel secundi post Chr. n. saeculi sit. Constat enim in quibusdam Peloponnesi partibus patrias dialectos, velut Doricam in Messenia, vel in quotidiano usu usque ad aetatem Pausaniae mansisse. (Paus. 4, 27, 5).

3.

Sub anaglypho Panis, mense Ianuario Tegeae effosso, quod etiamnum ibidem asservatur. Litterae tantopere sunt evanidae, nihil ut tentare ausim.

4.

In marmore oblongo, ibidem, in ecclesià, quæ vocatur Palaeoepiscope. Titulus est ex infinito numero dedicationum, quas Græcorum adulatio in honorem Adriani fecit.

Σ)ωτῆρι καὶ
κ)τίστῃ Αὐτο-
κ)ράτορι 'Αδρι-
α)νῷ 'Ολυ(μ-
πίῳ.

5.

Tegeæ, in cippo sepulcrali, in domo demogerontis.

'Αφροδὼ χαῖ(ρε
Φιλοδέσποτ(ε
χαῖρε.

6.

In cippo sepulcrali, in ecclesia D. Eliæ prope Neochorium, ad radices montis Artemisii, in Tegeatice.

'Αριςίων χαῖρε.

7.

Ibidem, ubi præcedens titulus, in marmore albo, circiter duo pedes et dimiduum longo, octo pollices alto, quod muro ecclesiæ insertum est. Litteræ valde exesae attritæque, ut propemodum dedita opera obscuratæ esse videantur. Nos titulum sic legimus:

Π)οσοιδᾶν.. Ἑρμ(εία)ς 'Ηρακλῆς.
Ψα(φίσματι)Δ(άμω)Τ(εγεατᾶν).

Marmor videtur basis esse, supra quam decreto Tegeatarum parvulæ statuae, vel, quod veri est similius, anaglypha istorum deorum collocata fuerunt. Quid sibi velit littera O cum signo supposito post *Ποσοιδᾶν*, non expedio. Erunt fortasse, qui istud signum esse litteram *Σ*, vocemque ipsam esse legendam casu genitivo *Ποσοιδᾶνος* putent, sed obstat mutata *τοῦ Σ* forma, quod ter in eodem versu est ea, quam in tabula expressimus, figura, non vero M. Deinde quid causae erat cur subter versum scriberetur? Denique sunt reliqua nomina in nominativo po-

sita: at in his rebus æqualitas quædam observari solet. Aliud igitur aliquid in istis lateat oportet. Quod ad scripturam *Ποσοιδᾶν* pro *Ποσειδᾶν* attinet, aliud praeter hoc exemplum, quod sciam, non reperitur; genuinam esse non dubito. Aeoles in quibusdam vocabulis *οι* scripsisse pro *ει* Gregorius Corinthius auctor est (de dialectis, p. 605 ed. Schaef. ubi vid. interpp.); Arcadica autem dialectus pars est Aeolicæ. Cf. Strab. 8, p. 138 Tchn.

Addam pauculas annotationes de titulis aliquot Tegeaticis apud Bœckhium et Leakium (*). Tit. 1517 est nunc in muro ecclesiæ vici Piali, sed quatuor ab initio litteris mutilus. Pro ΚΛΕΑΝΔΡΟΣ est in lapide recte *ΚΛΕΑΝΔΡΟ*, i.e. *Κλεάνδρου*. Tit. 1527 in ecclesia Palaeoepiscopes, sic habet:

Καλλικώ
χαῖρε,

post quae tertius aliquis versus fuit, sed litterae evanuere. Tit. 1522 est nunc ibidem, ubi primus de nostris, sed quinque a fine litteris (*ΙΟΣΛΕ*), quas Fourmontus etiam viderat, jam mutilatus. Recte observavit Bœckhius, primum alterumque versum litterarum formâ ita inter se discrepare, ut vix ejusdem tituli esse dixeris. Attamen in eodem sunt marmore. Leakius hunc titulum (qui apud ipsum est 51) satis male repraesentavit, confuso insuper versuum ordine. Tit. denique Bœckhianus 1528, qui est inter Leakianos 5, exstat Tegeae in fenestra ecclesiæ Palæoepiscopes. Neutrum apographum fidele est. Quae in lapide legi possunt, hæc sunt:

— — — — — —
ἑαυτοῖς
Οὔρβανε χαῖρε
Εὐφρόσυνε χαῖρε
— — *χαῖρε*

B.

Mantineæ.

Duos qui sequuntur titulos reperi in monasterio S. Nicolai, quod *Βάρσαι* appellatur (monachi corruptionem esse quotidiani usus pro *Βάσσαι* putant, haud incommode), ad latus Artemisii montis, prope in confinio Tegeatices

(*) Leakianos titulos appello, quos Leakius, vir clarissimus et de cognitione veteris Græciæ insigniter meritus, in tertio volumine itineris Peloponnesiaci (Travels in the Morea, III voll.) in tabulis æri incisis edidit.

et Mantinices. A Tegeatice altis rupibus arcetur, adscensus commodior est e Mantinice. Hac aliaque de causa, de qua mox dicam, Mantinenses hos titulos esse puto.

8.

In cippo, sub anaglypho viri feminæque admodum rustice facto.

'Ατελῆ χαῖρε.

9.

In marmore albo undecim pollices alto, pedem et duo pollices lato, superne fracto. In Museum Regium intuli. Lapis cum olim in scala quadam monasterii pro gradu fuerit, valde detritus est. Figuram ejus fideliter repræsentat tabula. Coronam, quæ in medio est, et canaliculos, qui titulum circumdant, ejusdem atque inscriptionem ætatis, certe non posteriores esse manifestum est eo, quod tum in corona caelata (en-relief), tum in canaliculis litteræ comparent, e. gr. v. 7, ubi paenultima littera Υ ita debebat collocari, ut recta linea I medium canaliculum expleret. Quae expediri possunt, hæc sunt:

— — — μου — ταὐτό
— — — — — εἶπεν μη-
δ)ενὶ προσήκειν κατὰ
μηδένα τρό(πο)ν ἢ α(ὐ)τῇ μόνῃ
— —
'Επὶ 'Ιερέως τοῦ Ποσειδῶνος-
ου Ευφρο . . νου . . ιγν(ωμ)ονεύο
ν(τ)ο(ς) Οἰκο(δ)ισ(π)οινι(α)νοῦ?
τοῦ
Σο)λωνο(ς 'Α)ρτέμων 'Αρτέμω-
νος καὶ 'Ερμείας 'Ιουνίου
ἐλευθέρω(σ)αν Διδύμην
τ(ὴ)ν ἰδίαν δούλην (δ)οῦσαν
τ(ὴ)ν ὑπὲρ ἑαυτῆς τειμὴν
καὶ μηδε)νὶ μηδὲν προσ-
(ήκουσαν κατὰ μηδένα τρό)
(πον - - - -

Lapidem olim duo titulos continuisse manifestum est. Quarum de priore nihil nisi finis (usque ad v. 5) superest; alter, inde a v. 6, videtur duobus tantum versibus mutilus esse, quamquam de priore eorum ductus quidam in extrema lapidis ora etiam supersunt. Continet manumissionem Didymae servæ, ab Artemone et Hermea factam. Jam nemo est quin videat, consentaneum esse, ut statuamus praegressum in eodem lapide titulum simile argumentum habuisse. Comparare licet infra titulum 74, quem superiore anno Stiri in Phocide transscripsi, in quo itidem duo diversa manumissionis decreta conjuncta sunt. Accedit, quod in iis, quae de priore titulo supersunt, solennis in hoc genere formula (*μηδενὶ προσήκειν κτλ.*) reperitur. Quæ cum ita sint, licebit jam e fine praecedentis inscriptionis ea,

quæ in altera desunt, ex parte saltem supplere. Scripsi igitur v. 14 et 15· *καὶ μηδενὶ μηδὲν προσήκουσαν κατὰ μηδένα τρόπον*. Videamus jam de reliquis. V. 4 nescio an verum sit quod scripsi: *ἢ α(ὐ)τῇ μόνῃ*. Aliter hacc H ATHMONH non expedio.—V. 7 est Euphrosynus quidam sacerdos Neptuni, ejusque nomine annus disignatur, quo manumissio facta est. Mantineæ autem erat ante urbem templum Neptuni Equestris vetustissima religione sacrum et reliquis ejusdem civitatis templis honoratius: de quo vid. Pausan. 8, 10, 2 seqq. Unde fit probabile, Mantineæ annos nominibus sacerdotum Neptuni insigniri fuisse solitos, ipsumque hunc titulum, utpote in Mantinensi agro repertum, esse Mantinensem. In litteris HOY, quæ sunt ante nomen Euphrosyni, aut prænomen aliquod latet, velut *Γαΐου*, aut, id quod veri mihi videtur magis simile, rescribendum est *Ἱππίου*, ut sit cognomen Neptuni. — Eodem versu ductus, qui sunt in lapide, secutus, non dubitavi scribere *ἐπιγνωμονεύοντος*, vocabulum aliunde ignotum, neque a quoquam lexicographorum notatum. Habetur tantum verbum simplex *γνωμονεύω*. et substantivum *ἐπιγνώμων*, h. e. a r b i t e r. Ab hoc facta vox *ἐπιγνωμονεύειν* significat a r b i t r i m u n e r i f u n g i. Hoc autem loco *ὁ ἐπιγνωμονεύων* videtur esse idem, qui est in aliis hujusmodi decretis *βεβαιωτὴρ* vel *μάρτυς*· qui si qua oriretur contentio inter eos qui manumittunt servamque manumissam, litem componere debebat. Nomen ei fuit, si lapidi fides est, *Οἰκοδεσποινιανός*· formâ sanequam singulari, sed cui analogiæ non desint, e. gr. *Διοκλητιανός*. — V. q. pro *Σόλωνος*, quod scripsi, licebit etiam *Ξόλωνος* vel aliud simile nomen supplere. In reliquis nihil est quod morari lectores possit.

C.

T h e l p u s æ.

10.

Thelpusæ, cujus urbis situm hodie misellus vicus Vanæna occupat, ante hos sex menses a rustico quodam in agro effossus. Valde doleo, primum Thelpusæum titulum, qui innotuerit, adeo mutilum esse, ut vix quidquam extricari possit. V. 5 fortasse legendum *α(ἰ)εὶ γὰρ τὰ δοκοῦντα* etc. Verum exerceant alii ingenium; equidem abstineo.

D.

Megalopolis.

II.

Titulus apud Bœckhium 1537, e Pouquevillio desumtus, qui perverso Cartwrighti apographo usus erat. Quapropter lapidem, quem jam Sinani prope Megalopolin in ecclesia quadam asservo, accuratius descriptum in tabula repetii.

V. 2 Cartwrightus male R-K- O IIISEPATIANAE. V. 4 et 5 non observavit in Græco titulo puncta (^), hic illic inter voces, quemadmodum in Latinis titulis assolent, interposita. V. 5 omisit THN. Ibidem Græcum titulum male in duos partes diremit. V 6 habet *ΑΓΑΘΟΣΔΟΓΜΑΤΩΝΣΥΝΕΔΩΚΕΦΩ*, quae tantum non omnia nihili sunt. Leviores errores prætermitto.

—— Cæsa)ri Aug. et civitati ita
——— ut promiserat (A)n(ni)
us? ———)Tauriscus pontem fecit
— *Αὐτοκρ)άτορι Καίσαρι καὶ τῇ πόλει*
5. — *Ταυ)ρίσκος ἐπο(ί)ησε τὴν γέφυραν καθως*
ὑπεσχέθη? κ)ατὰ τὸ δόγμα τῶν συνέδρων ἐφ' ᾧ
——— *αὐτὸν τὸ ἐπινόμιον και βαλανω* ——
——— *ἔχει θρεμμάτων διὰ βίου*

Pontem, de quo in hoc titulo agitur, trans Helissontem fluvium inter septentrionalem et meridionalem Megalopolis partem fuisse probabile est, ubi hodieque pontis antiqui reliquiæ quædam visuntur. Eum pontem, in honorem alicujus Cæsaris Augusti et civitatis (sc. Megalopolis) faciendum, Tauriscus quidam susceperat: quem promissis suis stetisse et opus absolvisse testatur titulus Latinus. Qui sequitur Græcus titulus, ad eandem rem referri neque aliud quidquam nisi versio præcedentis esse videtur (quamobrem post *καθὼς* conjeci *ὑπεσχέθη*, sc. u t p r o m i s e r a t); additis tamen conditionibus, de quibus convenerat inter Tauriscum et synedros, quem senatum Megalopolitanorum esse probabile est. Post *ἐφ' ᾧ* verbum aliquod fuisse consentaneum est, velut *μὴ ἀποφέρειν* vel *ἀποδιδόναι* (*τὸ ἐπινόμιον*), sed plura excidisse suspicor. In proximis bene observavit Bœckhius, *βαλανω.* ad glandes, quibus pecora vescuntur, referendum videri. Fortasse fuit: *βαλάνων τὸν φόρον ὑπὲρ ὧν ἔχει θρεμμάτων διὰ βίου.* Hodieque Me-

galopolis ruderibus ab utraque fluminis parte querceta contigua sunt.

12.

Tit. ap. Bœckhium 1536, e schedis Miltiadis, qui anno 1813 transscripsit. Lapis, qui in scala sacerdotis cujusdam pro gradu erat, quemque nunc in ecclesia Sinani asservandum curavi, exinde magis etiam detritus est. Quapropter multis in versibus pauciora etiam, quam Miltiades, legere potui; alii tamen versus in meo sunt apographo pleniores. Neque hic repetissem, nisi in tanta titulorum Megalopolitanorum paucitate eo magis accuratam eorum, qui supersunt, cognitionem referre putassem. Iam quæ aliqua cum probabilitate suppleri posse mihi videntur, omissis iis, quæ Bœckhius occupavit, hic apponam.

V. 2. — — — — ἔδοξε τᾷ
πό)λει τιμᾶσαι Φ(ι)λό(δωρον?
32. δικασίας?
33. Νίκων καὶ Ἵππ(αρχος?
35. το)ῖς τᾶς πολιο(ς?
37. τ)ὸ δέρμα (παρ)αδιδό(ναι?
42. ὄϊν ἱεροθυτον τὸν — —
44. καὶ τᾷ ἐσ(τ)ίᾳ.

II.

INSCRIPTIONES LACONICÆ.

A.

Spartæ, Amyclarum et vicinæ regionis.

Spartæ initio hujus anni duo fere menses degi, perque id tempus, quidquid lapidum inscriptorum superesset, summa diligentia anquisivi. Sed spem fefellit eventus. Perpaucos enim, siquidem cum magno titulorum numero compararis, quos Fourmontus olim ibi transscripsit, titulos ineditos reperi; pauciores etiam vidi de iis, quos ipse vel alii peregriuatores ante me invenerant, hodieque superstites. Spes tamen est, fore, ut, cum nova urbs super rudera antiquæ Spartæ surget, multæ etiam inscriptiones adhuc incognitæ reperiantur.

13.

Spartæ, in basi marmorea magna, mense Ianuario hujus anni haud procul a monumento, quod Leonidæ sepulcrum a quibusdam falsissime appellatum est, effossa.

Ἁ πόλις
Πό. Αἴλιον Δαμοκρατίδαν
Ἀλκανδρίδα, ἀρχιερέα τοῦ
Σεβαστοῦ καὶ των θείων
προγόνων αὐτοῦ, φιλο-
καίσαρα καὶ φιλόπατριν, αἰ-
ώνιον ἀγορανόμον,
πλειστονείκην π(αράδο-
ξ)ον καὶ ἄριστον Ἑ(λλήνων,
καλῶς πεπολιτευμέ-
ν)ον καὶ λαβόν(τα τὰς
τῆς ἀρ)ιστ(οπολιτείας
(τιμὰς κατὰ τὸν νόμον).

Quæ supplevi, e titt. 1352 et 1364 b. apud Bœckhium petita sunt. Idem P. Aelius Damocratidas occurrit apud Bœckhium in titt. 1363 et 1364 b., et in meo 14.

14.

Fragmentum basis marmoreæ magnæ, ad radices collis, in quo arx Spartanorum fuit, orientem versus. Qui locus videtur idem esse, quem Fourmontus designare solet: " juxta portam orientalem ".

Ἡ π)όλις
—— Δε)οντᾶ(ν)γυ(μνα-
σίαρχον τά)τε ἄ(λ)λα κα(λῶς
πολιτευσάμ)ενον καὶ (μόλι-

στα τὴν γυμνα)σιαρχία(ν φιλο-
τείμως και μ)εγαλο(πρεπῶς
ἐκτελοῦν)τα κα(ι τῆς ἄλ-
λης ἀρετῆς)χάριν, (προσδε-
ξαμένου τ)ὸ ἀνά(λωμα
Πό. Αἰλίο)υ Δαμο(κρατί-
δα τοῦ 'Αλκαν)δρίδα ἀ(ρ-
χιερέως τοῦ Σ)εβαστοῦ
και τῶν θείων) προγ(ό-
νων αὐτοῦ, φιλο)καίσ(α-
ρος καὶ φιλοπάτριδ)ο(ς.

— — — — —

Supplementa petivi e tit. Bœckhiano 1363. Atque ut dicam quod sentio, vix dubito quin uterque titulus unus sit idemque: quem cum Cyriacus integrum etiamtum vidisset, Fourmontus jam ab utraque parte accisum et mutilatum reperit, hodie vero vix tertia lapidis pars superstes est. Nihil enim inter se differunt, nisi quod in nostro lapide quindecim tantum versibus continentur, quæ in Bœckhiano exemplari, ad fidem Fourmontiani apographi distributo, sedecim versus occupant; sed cum ipse Bœckhius dicat, apud Cyriacum et Muratorium aliter divisos esse versus, vereor ne Fourmontus, licet alias (velut in titt. C. I. Gr. 1352. 1357. 1381, quos ipse Spartæ transscripsi) in distributione versuum accuratissimus, in hoc ce.te titulo transscribendo paullo fuerit neglegentior. Exemplo autem hic lapis esse potest ad confirmanda ea, quæ in præfatione de interitu tot marmorum dixi, nisi statuere malueris, ab ipso Fourmonto tam fœde mutilatum esse, quemadmodum semet in plurimis inscriptionibus fecisse mirâ petulantiâ ipse jactat.

15–17.

Fragmenta similium titulorum in eadem urbis parte, ubi præcedens.

18 et 19.

Fragmenta in alia urbis regione reperta, nunc in Museo, quod Spartæ colligere cœpi. N. 18 videtur esse initium tituli apud Bœckhium 1340.

20.

S p a r t æ, in Museo. Supra titulum fuit anaglyphum, de quo præter pedes humanæ alicujus figuræ nihil superest: qui pedes in tabula non sunt expressi.

"Αλεξι)ς Φιλοκ(ράτους, Πασι-
κλῆς Φι)λοκράτου(ς, Εὐκλεί-
δας Δεινάκ)ωνος, Φιλοκράτης Διογέ-
νους, Κ.) Βείβιος Φιλοκλῆς Πασι-
κλέους.) Νομοφύλακες 'Αλεξικρά-
της 'Αλεξικράτους,
Δαμοκλῆς) Δαμοκλέους ὁ καὶ Φι-
λοκράτης. Κλέ-
ων Σωσικράτους, 'Α)ριστοκλῆς Αν-
σιππου, Τυχαῖος Τυχαίου.) Γραμ-
ματοφυλαξ Νικ πλέ-

δας Δαμοκλέους.

Titulus est idem atque n. 1238 apud Bœckhium, qui e schedis Fourmontianis dedit. Indidem et e tit. 1237, ubi iidem magistratus redeunt, supplementa petivi. V. 5 dicitur Alexicrates, qui est princeps Nomophylacum, Alexicratis filius; hoc enim sibi vult siglum, quod est in lapide post Ἀλεξικράτης. At in tit. 1237 v. 28. 2 idem Alexicrates dicitur C. Lysippi f. esse. Conjecerit aliquis, eundem C. Lysippum fuisse etiam Alexicratem appellatum, more Spartanorum illius ætatis. Verum si quis duo habet nomina, in documentis publicis utrumque memorari solet, quemadmodum in hoc nostro lapide v. 6. Quamobrem magis adducor, ut credam, illic quoque pro Γ. ΛΥΣΙΠΠΟΥ reponendum esse ΑΛΕΞΙΚΡΑΤΟΥΣ: quorum nominum elementa non tantum inter se discrepant, quin Fourmontus, festinantius transcribens, errorem committere potuerit.—V. 6 scripsi Δαμοκλῆς Δαμοκλέους· siglum enim ϛ, (de quo videatur. Bœckh. in Introd. ad Spartanos titt. p. 613) ante ὁ καὶ Φιλοκράτης etiamnum in lapide comparet: pro quo cum Fourmontus scripsisset K, Bœckhius h. l., ut videtur, vim sigli non perspexit. Idem siglum latet v. 8 in K mutilo, quod Fourmontus post ΤΥΧΑΙΟΣ posuit: quamobrem repetendum fuit idem nomen in secundo casu — In eodem versu meum apographum, quemadmodum Fourmontianum, præbet ΤΟΦ, in quibus ductibus non dubito quin lateat siglum pro γραμματοφύλαξ, quæ vox diversis siglis exprimi solet. Hoc modo lucramur, ut fas est (cf. Bœckh. l. l. p. 609), quinque Nomophylaces, unum Grammatophylacem, cui nomen Nicippidas Damoclis f.

21.

Spartæ, in fragmento columnæ albi marmoris. V. 2 fuit Σωσικλῆς vel Σωσικράτης, v. 4 fortasse Εὐθυμάχου, et v. 7 Διόσκορος. Catalogus magistratuum fuise videtur, ut præcedens titulus.

22.

Spartæ, in marmore albo, cujus figuram repræsentat tabula. Honores, quos aliquis gesserit, enumerati fuisse videntur. Damarchum et Soclidam neque inter patronomos neque inter ephoros apud Bœckhium reperio. Hereo etiam in siglo, ex aliis titulis, quantum video, nondum noto.

23.

Spartæ, in Museo, in frustulo columnæ albi marmoris.

— — κ)λέους — —

— — — — — —

— — φι)λοπετρ(— —

— — — — βουλ(ῆς? — —

οἱ) συνάρχον(τες

Αὐρ. Νείκιππ(ος?

Αὐρ. Δαμοκρά(της?

— — Καλλίτυ(χος?

Πετρ. Ἀλέξα(νδρος — —

— ὑ)πηρέτ(ης — —

— —

— —

24.

Ibidem, ubi præcedens titulus. V. 5: *Αὐ)σιππος Φ(ιλοχαρίνου* fortasse idem est, qui memoratur in titt. 1240-1243 apud Bœckhium, et in titulo Leakiano 17, quem titulum et ipse Spartæ transscripsi.

25 et 26.

Duo fragmenta, diversorum tamen titulorum; ibidem, ubi præcedentes.

27.

Paroriæ, in suburbio Misthræ vel Mysithrarum, in fonte publico. Quæ legi possunt, hæc sunt:

— — — κλεῖδας Πιστοῦ?

Δίων Τιμοφάνεος,

Θρ)άσων Ἀνδρονίκου,

Καλ(λ)ίμαχος Καλλιμάχου.

28.

Misthræ, in ecclesia D. Spyridonis, ubi etiam titt. Bœckhiani 1409 et 1425.

29.

Spartæ, in Museo, in Herma quadrato, qui olim protomen Damocratis sustinuit. Reperi in deserta ecclesia D. Sotiræ, haud procul a monasterio Quadraginta Martyrum, quo titulum Sparta allatum esse consentaneum est.

Συνέφηβοι

Δαμοκράτους.

Δαμοκρατη, νέον Ἑρμείαν, υἱὸν Διοκλῆος,

Ἀμφὶ παλαίστραισιν στήσαμεν ἡμετέραις,

Παῖδες ἀνίκατοι, σθεναροί, κρατεροὶ συνέφηβοι,

Ἑρμάωνι θεῷ πλεῖον ἀγαλλόμενοι.

Βουλαῖσιν πινυτοῖο Φιλουμένου, ὃς πλέον ἄλλων

Ἐστὶν ἐπισταιέων γυμνασίαις πρύταν(ις.

Epigramma venustissimum, et quod nulla amplius explicatione indigeat. *Φιλουμένου* scripsi, accentu in pænultima posito, præeunte Boeckhio ad C. I. Gr. tit. 1265. In extremis forsan aliquis paullisper hæserit. *Ἐπισταιέων* est genitivus ab *ἐπιστης*, non participium, sensusque est: qui alios (gymnasiorum) præfectos dexteritate in exercitationibus gymnasticis antecellit. Nam *γυμνασία* est exercitatio gymnastica, dexteritas quam quis con-

tinnatis hujus generis exercitationibus sibi comparavit. Hesychius: *γυμνασία· ἄσκησις, μελέτη*. – *Πρύτανις* autem est, qui in aliquo genere est primus. Igitur Philumenus, cum *πλέον ἄλλων ἐπιστατῶν γυμνασίαις πρύτανις* esse dicitur, reliquos antecellere dicitur dexteritate in gymnasticis ludis.

30.

In duobus fragmentis basis marmoreæ, in ecclesia visi Palæopanhagiæ ad radices Taygeti montis, ab Amyclis meridiem versus.

Μάρκος Αὐρήλιος
Νικηφόρος Καλλι-
κράτους ἱππάρχας.

'Ιππάρχας (*ἱππάρχης*) idem est quod vulgo *ἵππαρχος*.

31.

Misthræ in fonte publico.

32 a et b.

Ibidem, in aula ædium episcopalium, in duobus fragmentis marmoris albi. Forma et magnitudo litterarum eadem; neque tamen ad eundem titulum pertinere puto. In priore (a) v. 2–4 est fortasse:

— *Δαμο(κρά-*
τού)ς καὶ 'Ει(υμο-
κλ)είας.

33.

Ibidem, in muro moscheæ Turcicæ. Litteræ pergrandes, formâ antiquissimâ. Apud Leakium, qui per errorem Tripoli tribuit, est tit. 52.

'Εποι,θη.

34 a et b.

Ibidem; prior titulus in trabe marmorea, in domo quadam; alter in parva architrabe Dorica, sub triglyphis, in ecclesia ruinosa prope castellum Misthræ. Quinam *ἱερεῖς* intelligendi sind, non liquet.

α. 'Ιαρέων. *β. ἱα(ρ)εῦ(ς.*

35.

Spartæ, in Museo, in marmore parvo, a dextra mutilo.

Στρ)ατονίκ(η — —
'Αφροδίτᾳ — — —
'Ανέθηκε — — —

36—40

Ibidem; n. 36 et 37 in duabus domibus, n. 38–40 in Museo.

Ζανὶ 'Ελευθερίῳ 'Αντωνείνῳ Σωτῆρι.

Apud Bœckhium sunt duo tituli ejusdem argumenti (n. 1313 et 1314), diversi tamen ab his nostris. Duo alios Spartæ me videre memini, sed nondum transscripsi. Cf. et sequentem titulum. Bœckhius ad Antoninum Pium referendos putat; sed non addit quid causæ fuerit, cur Spartani hunc im-

peratorem tam impense colerent. Mihi libri ad rem indagandam desunt. — Litteræ, quæ leguntur in averso tit. 37 latere, superesse videntur de nomine *'Αριστείδης*, qui dedicarat fortasse hunc titulum.

41.

Ibidem, in Museo, ubi très proxime præcedentes tituli; in columna marmorea, duo pedes et dimidunm alta.

Ζα)νὶ
'Ελευθε-
ρίῳ καὶ
'Ολυμπί-
ῳ 'Αντωνεί-
νῳ Σωτῆ-
ρι.

A præcedentibus eo tantum differt, quod post *'Ελευθερίῳ* additur aliud epithetum: *καὶ 'Ολυμπίῳ*. Prorsus autem singulare est, quod, cum in reliquis ejusdem vel supparis ætatis titulis Spartanis dativus singul. secundæ declinationis per *Ω* scribi soleat (e. gr. 1242, v. 18; 1243, v. 27), in his sex nostris et in duobus Bœckhianis, quos supra laudavi, constanter per *ΟΙ* scribitur. Nota præterea, in his lapidibus, quot quidem integri sunt, omnibus coronas ramosque negligenter incisos apparere; unde conjecerim, dedicationes esse victorum in ludis Augustalibus.

42.

Spartæ, in cippo sepulcrali. Titulus videtur esse infimæ ætatis.

43.

Ibidem, in Museo, in cippo sepulcrali. Nomen sepulti suspectum, certe vix Græcum videtur.

Κατίας (?) *ἥρως χαῖρε. 'Εποίησεν Εἰρήνη ἰδίῳ ἀνδρὶ μνείας χαριν και τειμῆς.*

44.

Ibidem, ubi præcedens titulus, in tenui tabula marmorea. Nomen non expedio; in v. 2 est *ἔτη βιωσ(ας* vel *ασα) κέ.*

45.

Ibidem, ubi præcedentes, in fragmine aræ vel basis rotundæ.

— — — —

Καλλικράτους.

46.

Ibidem, ubi præcedentes, in cippo sepulcrali.

"Ελε(γ)χε χαῖρε ἐτῶν κθ'.

47.

Inter **Amyclas** et **Pharin** (quam urbem prope vicum Vaphiò in dextera Eurotæ ripa pono, ubi in colle quodam simile aedificium est, atque

celeberrimus ille Atrei thesaurus Mycenis), in ecclesia ruinosa, in trabe marmorea pergrandi. Titulus a dextra ad sinistram scriptus, litteris antiquissimis.

Εὐγενίδα

— —

Apud Bœckhium est idem titulus inter antiquissimos n. 35, e schedis Fourmonti: sed duabus litteris, *K* in initio, *Σ* in fine, meo apographo integrior. Quarum nunc quidem nullum vestigium superest; fuisse olim non negaverim: nam omnes quæ supersunt litteræ, quamvis satis magnæ (utpote duo propemodum pollices altæ), dedita opera scalpro fabrili vel alio acuto instrumento adeo excisæ deletæque sunt, ut vix legi possint: in quo vastatricem Fourmonti manum licet agnoscere. Quem enim alium operam perditurum fuisse dicas in delendis litteris marmoris, quod hodieque in interiore pariete ejusdem, in qua Fourmontus viderat, ecclesiæ inædificatum est?

48.

Similia sigla, ex Α et *Π* composita, anno superiore inveni Thebis in aliquot antiquis marmoribus quadratis in æde D. Lucæ, quæ hodie situm templi Apollinis Ismneii occupat: quorum apographa tunc ad Bœckhium, V. cl., misi, eique me suspicari scripsi, hisce siglis in lapicidina eos lapides insignari consuesse, qui templo Apollinis (*ΑΠ*) destinarentur. Iam vero revocanda est ista opinio. Hae enim litteræ, quas in tabula repræsentavi, Spartæ in lapidibus quadratis reperiuntur, e quibus alae immensi theatri exstructæ sunt; idque (ne quis otiosum nescio quem hæc ludentem insculpsisse putet), in aversis lapidum lateribus, quæ antequam theatrum destrui cœptum est, intus in muro occulta erant. Singulæ litteræ tres quatuorve sunt pollices altæ. Patet autem iis non designari destinationem lapidum, quemadmodum olim suspicabar: alioquin enim exspectares *Θ* vel *ΘΕ* (*θεάτρου*). Iam vero animus eo inclinat, ut putem, singulos operas lapides a se caesos certis quibusdam siglis aut litteris signare fuisse solitos, ut facile cognosceretur, quantum quisque meruisset stipendii. Quae opinio si cui non probabitur, aliam magis verisimilem excogitet: neque me erroris pudebit. Nunquam autem mihi persuadebo, fortuito has litteras, tam grandes praesertim, et sine certo fine lapidibus fuisse incisas.

49 a et b.

Sub lampadibus fictilibus ornatis-

simis, quas Spartae in sepulcris reperi; nunc Aeginae in Museo Regio. Saepissime sub vasis antiquis nomen figuli legitur. In tit. a est *Νικάνδρου*, in b *Παρδου* nam circuli, qui in media voce sunt, non formant litteram, sed de machina figuli impressi sunt.

50.

In tribus tegulis, quas Spartae in diversis urbis partibus inveni. Inscriptio, quae in tabula nostra errore lithographi integram *πλίνθον* occupare videtur, cum revera vix decimam tegulae partem occupet, forma ut ita dicam stereotypa in tegulis est impressa, litteris caelatis, parique inter se et magnitudine et specie. Neque dubitari potest, quin ea inscriptione designetur fabrica, e qua tegulae istae prodierunt; sed rationem tituli non perspicio. Quid enim haec sibi volunt:

Δαμόσιος
'Αθαναε φίλ(ος?

Ceterum observa, in hoc titulo litteras formae satis antiquae (ut *Α*, *Μ*, *Θ*) mixtas esse cum litteris formae multo recentioris, quale est sigma semicirculum.

Reperi etiam Megalopoli tegulam inscriptione insignitam, verum litteris adeo attritis, ut vix duae tresve legi queant.

Licet in iis, quae praecedunt, aliquoties jam significaverim, hunc illumve titulum Bœckhianum aut Leakianum a me Spartæ vel in vicinia visum esse, tamen operæ me pretium facturum arbitror, si brevem eorum, quotquot hodieque exstant, catalogum hic subjungam. Leakianos autem titulos quosnam appellem, supra p. 3. significavi.

B. 1285. Spartæ, in Museo.

B. 1330. Olim Misthræ, nunc Spartæ in Museo. Quatuor tantum priores versus (usque ad *Παυλεῖνον*) supersunt.

B. 1352. 1357. 1381. Spartæ, ad radices arcis, orientem versus.

L. 6 et 8. Olim Misthræ; Spartam in Museum deportavi.

B. 1398. L. 18. Spartæ, prope theatrum, litteris ingentibus, quinque propemodum pollices altis.

L. q. Misthræ in ecclesia quadam.

B. 1409 et 1425. Misthræ in ecclesia D. Spyridonis.

L. 12. B. 1445. Amyclis (Sclavochorii), in basi marmorea pergrandi.

B. 1448. L. 73. In aquæ ductu Turcico, ad Eurotam, in vicinia sepulcri Ladæ cursoris.

B. 1474. L. 16. In ecclesia D. Cyriacæ, ad Eurotam, inter Spartam et Pharin.

L. 17. Spartæ, in Museo, in fragmento columnæ, denuo in tres partes fracto.

L. 19. Spartæ, in ecclesia D. Irenæ.

B. 1485. L. 13. Amyclis, in muro ecclesiæ cujusdam.

B. 1501. Misthræ in ecclesia D. Theodori.

L. 72. In monasterio Quadraginta Martyrum, trans Eurotam.

Vides, hunc catalogum fidei Fourmonti stabiliendæ inservire. Nam titt. 1285. 1330. 1352. 1357. 1381. 1425. 1501. hucusque non nisi ex ipsius schedis noti fuerunt.

Tit. C. I. Gr. 1504, quem Bœckhius e Leakianis schedis edidit, vereor ne in illis falso Spartæ tribuatur; equidem reperi eundem in Attica, in cippo marmoreo magno. inter Chalandrium vicum et Hymettum montem.

B.

G y t h e i.

51.

Basis albi marmoris, ante paucos annos G y t h e i effossa. Litteræ valde attritæ, et prope evanidæ.

'Αγα(θ)ῆ τύχη.
'Η πό)λις ἡ Γυθεατ(ῶν
Μα.) Αὐρ. Λυσικρά(την
Λ)υσικράτους ἀγο(ρανο-
μ)ήσαντα καὶ στρ(ατη-
γ)ήσαντα τοῦ κοιν(οῦ
τῶν 'Ελευθερολα(κώ-
νων, προσδεξαμ(έ-
νων τὸ ἀνάλωμα (τοῦ
ἀνδριάντος Αὐ(ρηλί-
ων Δαμοκρατ ους καὶ
Λυσι(κρατους) τῶ(ν τέ-
κ)νων (αὐτοῦ.
Ψ)ηφίσματι) Β(ουλῆς).

V. 5: ἀγορανομήσαντα, sc. τῆς πόλεως τῶν Γυθεατων· neque enim ἀγορανόμος totius Eleutherolaconum fœderis esse potuit. Prætor autem (στρατηγός) τοῦ κοινοῦ τῶν 'Ελευθερολακώνων habetur etiam in tit. 1389 apud Bœckhium. Aetatem lapidis Marci Aurelii nomen arguit.

52.

In vivo saxo ad viam, quæ G y t h e o ducit M i g o n i u m (quem locum, e regione Cranaës insulæ situm, hodie occupat oppidum Marathonesium). Apud Bœckhium est tit. 1469, apud Leakium 28. Cum neutrum exemplar satis accuratum esse viderem, titulum, utpote forma litterarum et vetustate memorabilem, e meo apographo denuo exprimendum curavi.

53.

Sub lampade sepulcrali G y t h e i effossa.

Λουκίου.

III.

INSCRIPTIONES ARGIVAE.

54.

A r g i s, in muro ecclesiæ D. Demetrii (ubi est etiam tit. Boeckh. 1126). Est distichon iambicum, quod Hermæ alieni subscriptum fuisse patet.

'Εϱμῆς δίκαιος εἰμ(ι), καί με — —
Ἔστησ' ἔλεγχον τῶν δικαίων κἀ-
δίκω(ν.

In fine prioris versus desideratur nomen dedicantis trisyllabum, e. gr. *Δαμοκλῆς*.

55.

A r g i s, in eadem ecclesia, ubi præcedens titulus. Eadem inscriptio est apud Boeckhium, qui Fourmonti et Pouquevillii schedis usus est, inter titulos antiquissima scripturæ forma insigniores n. 17. Plura de ea disputavit V. Cl. in Præf. C. I. G. §. X. Pouquevillius, Boeckhio auctore, titulum nunc in balneis esse dixit; falso, ut pleraque. Repetendum h. l. curavi propterea quod Boeckhianum exemplar, Gallorum, qui descripserant, incuriâ, parum accuratum esse vidi. Singuli versus separantur duplici lineolæ: quod vel in antiquioribus titulis raro, rarius etiam in recentioribus fieri solet. Sunt tamen similes lineolæ etiam in titulo Spartano, ætatis Romanorum, qui est inter Boeckhianos 1285.

Plurima in nostro titulo Boeckhius recte constituisse videtur: quamquam dubitare licet de *ἰαχι ἴ* in v. 2.—V. 3 Boeckhius in Fourmontiano apographo agnoscere sibi visus est *Πέλοπς*· sed in lapide est *ΘΙΟΠΟΣ*. Ibidem ultima littera non est Υ aut V, sed N; quamobrem neque lectio *δ' αὖ* admitti potest. — Tertia littera in v. 6 est D, non P, quod cum apud Fourmontum esset, Boeckhius inde effecit lectionem parum probabilem *παϱιών*. Neque *στάδιον* scribere licet; nam *Π* in initio versus certissimum est. Mihi *λαμπάδιον* in mentem venit.—V. 7 Fourmontus eodem errore P posuit pro D. Scribendum igitur est *δὶς τὸν ὁπλίταν*, non vero *ἄϱιστον ὁπλίταν*, ut proposuit Boeckhius.

56.

A r g i s, in æde Panhagiæ, quæ est super theatrum, quæque situm templi Veneris (Paus. 2,20, 7) videtur occupasse.

Ε)ὔτυχε
χαῖϱε.
Χαῖϱε κ(αὶ) σύ.

Titulus est sepulcralis, a reliquis ta-

IV.

INSCRIPTIONES CORINTHIAE.

In excidio Corinthi tituli antiquiores omnes videntur interiisse. De septem titulis Corinthiis, qui apud Bœckhium sunt, ne unus quidem Divi Iulii, instauratoris Corinthi, ætatem superat. His accedunt septem, quos ipse reperi: duo Latini, quorum alterum in Iahnii et Seebodii Archiv f. Philol. u. Pædag. Vol. II, p. 438 edidi, Græci quinque, iique omnes procul dubio post istam ætatem scripti. Neque spes est, fore, ut multi tituli Corinthii etiamnum reperiantur. Nam cum novissimo bello, quo Græci Turcarum dominationem exuerunt, tota fere urbs eversa et tantum non e fundamentis disjecta fuerit: si quæ marmora inscripta, ut fit, in parietibus vel pavimentis domuum latuissent, ea nunc apparere necesse esset. At enim quidquid inscriptionum colligere Corinthi hucusque potui, infra propositum vides.

60.

Corinthi, in altari majoris moscheæ, ante quam alterum Latinum titulum reperi, de quo supra dixi. Lapis a dextra parte, quæ quidem adspectanti dextra est, mutilatus.

61 a, b et c.

Acrocorinthi, in subterraneo Pirenes fornice, quem descripsi in Blatt. f. lit. Unterh., 1833. n. 183. Quod ibi dixi, lapidariorum, qui fornicem struerent, hæc mihi opera videri, id nunc quoque verum esse puto. Aetas haud dubie est instauratæ Corinthi, quo tempore Pirenes quoque fontem instauratum esse consentaneum est; vel recentior etiam. Prior titulus (61 a) est apud Bœckhium n. 1107, qui e Cyriaci et Muratorii schedis habet. Bœckhius in fine v. 2 dedit *ΑΔΕΛΦΟΣ*, quod nunc certe non apparet. Idem v. 3 pro *ΑΠΕΜΑΣ* habet *ΑΠΕΛΛΑΣ*, quod verum videtur, et *ΝΗΨΑΔΟΣ* pro *ΝΗΨΙΔΟΣ*. Illud obscurum: neque mea lectio, quamvis certa, facilis explicatu est. Quid enim sibi vult h. l. ebrietas? Numquid nominis proprii locum obtinet?—Euporum (v. 2) eundem esse probabile est, qui redit 61, c, v. 3: Putaverim etiam eum, qui dicitur *ΦΙΛΩΝΑΣ* in priore titulo et *ΦΙΛΩΝ* in secundo, unum eundemque esse: uterque enim Dionysii cujusdam memoriam colit. At obstat nominis diversa forma. Verum hodierni

ano de prægressis titulis, vel maxime ætatem Romanæ coloniæ olet.

'Επ(α)φροδίτας καὶ 'Αθη-
νοδώρου μεμόριον.

63.

Ibidem, in ruderibus Turcicæ domus. Versu 4 fuit Corcyræ vel Corcyræi alicujus mentio. Titulus hanc ob causam videri possit excidio Corinthi antiquior: sed litterarum forma ætatem primorum Imperatorum arguere mihi videtur.

V.

INSCRIPTIONES MEGARICAE.

64.

Aegosthenis (nunc Germano), cujus oppidi hodieque insignia rudera exstant, inter quæ turris, quinquaginta vel sexaginta fere pedes alta, maxime conspicua est; in cippo sepulcrali.

Μελάμπους

— — — — —

65.

Ibidem, itidem in cippo.

Εὔ(θ)υμις Ηράκωνος.

Ab ΗΡΑΚΩΝ formatur etiam genitivus ΗΡΑΚΩΝΤΟΣ, e. gr. in tit. Atheniensi inedito, Athenis in Museo: nisi quod tum 'Ηρακῶν et 'Ηρακῶντος scribendum videtur.

66.

